

Franckesche Stiftungen zu Halle

Primae Lineae Didactices Scholasticae In Vsum Praelectionvm Dvctae

Dommerich, Johann Christoph

VVolfenbvttelae, 1762

VD18 12875910

Caput I Tradit Instituendi Regulas Generales

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-190566



CAPVT I

TRADIT

INSTITVENDI REGVLAS GENERALES

§. LXXXXIII.



Qualis futurus scholae praeceptor esse
debeat, ex iis, quae parte priori
dicta sunt, satis, puto, constabit.
Sequitur, vt, quomodo in ipsa
instituzione versari debeat, poste-
riori hac parte explicemus. Quamquam
enim, de vnaquaque disciplina cum spe-
ciatim agetur, illam docendi ratio fusius sit
indicanda: plura tamen sunt, quae gene-
ratim monere interest, hoc capite in me-
dium proferenda. Vt igitur ordine quo-
dam



dam has instituendi regulas generales proponamus, primo loco eas collocabimus, quae ex muneris scholastici ratione ac fine proficiſcuntur: tum quae diſcipulorum conditionem ſpectant: poſtea quae ex diſcendi ratione colliguntur: vltimo loco eas indicabimus, quas rerum docendarum ordo et natura ipſa ſuppeditant. His quatuor claſſibus pleraque ſaltim, ſi non omnia, quae ad instituendi rationem generatim pertinent, comprehendere poſſe arbitramur.

§. LXXXXIII.

Muneris, quo fungitur, rationem ac finem ſi ſemper ob oculos ſibi ponat ſcholae praeceptor, vt diſcipulos tam in hac quam in futura vita felices reddat: plures inde regulas facili opera deriuare poterit, quas ordine iam pertractabimus. Prima haec ſit: *Muneris ſui grauitatem ſi cogitat, ad deum confugiat, a quo vires, intelligentiam ac prudentiam precibus ardentiffimis contendat.* Maximi ſane momenti res eſt, hominem, a deo conditum, ſed ſua culpa deprauatum, ac per dei filium cum deo reconciliatum, ita inſtruere, vt tam in hac vita, quam aeternum felix euadat. Quantum enim requiritur,



tur, vt aliquis huius vitae felicitatem confe-
qui, multo vero magis, vt aeternum felix
effe poffit. Tot laboribus fe omnino im-
parem sentit noster, nifi diuinitus animi,
corporisque vires fuppeditentur. Quibus
confequendis ne ineptus fit, precibus illas
ardentiffimis defiderat, quotidieque nouas
a deo fibi expetit.

§. LXXXV.

Deinde muneris fui vtilitatem expendens
animo praeceptor, *serena ad illud semper fronte
accedat, maximaque illo fungatur voluptate.*
Magnis fane, immo maximis vita fcholaftica
circumfepta eft moleftiis, quae animum fran-
gunt, ftudiumque minuunt. Refumitur
vero, atque excitatur iterum, fi, quam opera
nofta fit vtilis, cogitamus. Quantae enim
vtilitatis res eft, hominem reddere felicem,
ac rei publicae faluti confulere. Quam di-
gnus homine hic labor! Quam lauta iftius
funt praemia! Quis laeta ac serena fronte
tale opus non aggrediatur? Omnia vincat
amor. Difcipulorum hic ftudium excitabit,
ipfamque institutionem multo efficiet vti-
liorem.

H

§. LXXXVI.



§. LXXXXVI.

Tertio loco optimam muneris sui rationem considerans, *paterno in discipulos feratur amore*. Cuius enim felicitati perficiendae operam damus, hunc ex animo amemus, necesse est: et in quem ita sumus adfecti, hunc feliciorum semper ut reddamus, enixe allaboramus. Neque fieri aliter potest, quam ut paternus hic in discipulos adfectus mutuum illorum excitet amorem, quo nihil ad feliciter obeundum munus utilius, praestantius nihil. Ex hoc enim discipulorum erga praeceptorem amore sponte omnia consequuntur, quae ab illis requiruntur.

§. LXXXXVII.

Ultimo denique loco muneris sui finem ob oculos sibi ponens praeceptor, *non solum id agat, ut huic vitae suos aptos reddat, sed aeternae quoque illorum salutis curam agat*. Partibus suis minime rite functus est praeceptor, qui suos linguas et artes, quin et bonos mores docuit; haec enim huius tantum vitae felicitatem efficiunt: muneris plena ratio, ut dei amantes, probi, pii, Christoque amici ex disciplina eius prodeant discipuli, requirit. Hac enim via ad aeternam
ten-



tenditur salutem. Ab isto igitur pernicioso errore sibi caueat, quo, officio suo fecisse satis, sibi persuadent, qui doctos et moratos dimittunt iuvenes. Deo se olim rationem redditurum esse, serio cogitet, si, ipsius culpa, fidei suae commissorum quidam pereat.

§. LXXXXVIII.

Diuerfa discipulorum conditio plurimarum regularum fons est, quas in institutione attendere debet praeceptor. Primum igitur negotium, cum in scholam venerit, sibi datum existimet, *ut discipulorum ingenia diligenter exploret, ac cognoscat.* Haec exploratio ingentium commodorum causa erit, ipsique, quid faciendum sit, monstrabit. Non enim omnes eodem modo tractari debent discipuli, sed pro suo quisque ingenio, si bene tractari debet. Quod si vero, quomodo in illorum recessus penetrari possit, quaestio oriatur, facilis erit responsio. Attendendum scilicet, quomodo quisque in quaque re se gerat, etiam tum, cum minus se obseruari cogitet, unde de eius propensionibus et facultatibus facilis erit coniectura, praesertim illi, qui in morali philosophia et communis vitae ratione aliquantum versatus sit.

H 2

§. LXXXXVIII.



§. LXXXXVIII.

Hac ingeniorum exploratione prudenter ut uti possit praeceptor, in quadruplici fere differentia discipulos esse obseruet, quarum quaelibet singularem prudenter agendi modum postulat. Quidam et cum voluptate litteris operam dant, atque iis instructi sunt a natura dotibus, quae successum haud infelicem spondent: alii cum eadem voluntate ferantur in litterarum studia, aliquod operae pretium faciendi facultate destituuntur: alii rursus, ingenium studiis aptum nacti, quaecumque de causa ab illis abhorrent: postremi sunt, qui cum Musis commercium habere nolunt, ita praeterea ab ingenio imparati, ut etiam si velint, efficere quidquam nequeant.

§. C.

Primae classis iuvenes habere, si praeceptor tam felici esse contigerit, is eo tantum enitatur, ne sua culpa a litterarum studiis illos abalienet, aut culturae neglectu ingenii dotes corrumpantur. Si qui sunt, non sunt tamen nulli, qui habenis indigeant, hos ab immoderato studio retineat. Reliquis talem se semper ducem praebeat, qui illorum volun-



luntatem alat, conferuet, augeat, expleat, ingenii dotes excitet, excolat, augeat, beneque collocet. Ne studio suo in aliena ferantur, dotibusque suis abutantur, sedulo caueat. Potissimum vero, ne prauo aliorum exemplo ad otium deflectant, aut ingenii dotes socordia et voluptatibus corrumpant, operam det. Idem quoque, quo minus suis dotibus superbiant, aliosue prae se spernant, aut illis nimis confidant, obstat.

§. Cl.

Difficilior, non tamen desperata, est aliorum causa. Vbi enim seria discendi voluntas adsit, de profectu aliquo vix est dubitandum. Id saltem diligenter consideret prudens magister, vtrum nihil adsit virium, an vero tenues tantum vires et quasi sepultae. Si prius sit, ut nihil prorsus comprehendat, aut nihil memoria retinere queat puer aut adolescens, ab infano ipsum labore dehortabitur, parentesque a faciendis sumtibus, ne sibi imputetur, oleum et opera in eo homine si perdatur. Posteriores humaniter tractandi, tantoque maior a praeceptore diligentia adhibenda, ut obiectae a naturae imbecillitate difficultates



studio et industria superentur: quod saepius feliciter factum esse, experientia testatur. Apud hos igitur discendi cupiditas alenda, labor minuendus, ingeniique latentes igniculi excitandi sunt.

§. CII.

Tertium illorum genus est, qui facultates, quas habent, litterarum odio adhibere nolunt. Prudens praeceptor, id sibi potissimum negotii datum esse, cogitet, ut huius odii causas inuestiget, pro quarum diuersitate diuersam tenet rationem. Si ab ignauia sit odium, leniter primum officii admonendi sunt: adhortationibus parum proficientibus, obiurgationes acerbiores, quin plagae etiam, aliaeque coercionis ad mouendae, quibus ueternus ille excutiatur. Sin Orbilius aliquis plagosus discendi amorem animo excusserit, humanitate, comique lenitate, non studiorum, sed hominis illud fuisse vitium, conuincendi sunt. Quos parentum opes securos faciunt, ut nihil sibi litteris opus esse putent ad vitam commodè agendam, illi diligenter sunt commonefaciendi, ut, si non praesidium, ornamentum saltem a bonis artibus sibi petendum putent, idque eo magis, quo plura ad



ad eam rem praesidia secunda fortuna subministrat, quantoque pulchrius sit litterarum cum generis splendore connubium. Deinde subiici potest, quam sint res humanae fluxae, quae quidem extra nos positae sunt: paranda igitur in tempore praesidia, quae eripi ita facile non possint. Quae omnia historiis illustrari, atque ita tandem pertinax voluntas expugnari, poterunt.

§. CIII.

Ultimum genus superest, qui nec voluntatem discendi, nec facultatem habent. Hi cum inuita prorsus Minerva ad litterarum studia admoueantur, monendi erunt parentes, ut alii vitae generi illos consecrent. Non solum enim nihil proficient, neque umquam rei publicae inseruiant: sed mala inde metuenda maxima, animum ad malas artes applicantibus. Quod si tamen difficultates tum ratione voluntatis, tum intellectus, expugnari poterunt: variis utatur antea remediis praeceptor, quae supra proposita sunt.

§. CIIII.

Post ingenii explorationem, ad quae quisque proclivis sit aptusque, cognoscere deinde studeat praeceptor. Ita in pueris saepe iam ap-



paret, oratores bonos illos fieri posse, si amoena quaedam audacia et libertas, cum viuida imaginandi vi et praestanti memoria coniuncta, in iis eluceat: politicos egregios, si diligenter legunt historias, neque tantum ad euentus, sed ad eorum etiam causas, totumque negotiorum contextum respiciunt. Medicum fore praestantem arguit, si herbas, flores, insecta, conchylia legat, diligenter confideret, et quae sunt alia. Optandum omnino esset, vt ista permetteretur iuuenibus libertas, vitae genus, quod ipsis maxime placeret, eligendi. Quod vt parentibus persuadeat, noster dabit operam: si id non obtineat, sensim et quasi aliud agendo a deliciis suis adolescentem abstrahat, et ad alia, scopo a parentibus praefixo magis conuenientia, traducat.

§. CV.

Tertio loco illud potissimum quoque exploret, quibus quisque rebus optime soleat in officio contineri: pudore, quo plurimi, aut obiurgatione, qua durioris frontis, aut plagis, pro desperata malitia. Deinde fieri interdum solet, vt inter illas artes, quae ab omnibus in schola disci interest, ad alias magis,



magis, quam ad ceteras quidam propende-
ant, quidam ab vna pluribusue plane ab-
horreant. Prius ferri facile potest, et, si
cetera non neglegantur, illa propensio etiam
alenda est. Circa alteros videndum, quam
necessarium sit id, a quo abhorreant, et e
quo fonte auersio illa profluxerit. Si appa-
reat, non nimis necessarium esse, stulte fa-
ceret, qui cogere cum acerbitate quadam
discipulum alias non malum vellet, vt frustra
se torquendo bonas horas perdat. Id tamen
obseruandum, vt alius ipsi interea labor at-
tribuatur, ne alii, ignauia ducti, eandem sibi
libertatem arrogant.

§. CVI.

Denique reliqua boni praeceptoris circa
diuersam discipulorum conditionem officia
haec fere sunt: vt, quos natura aut educatio
timidos fecit, excitet, ferociores seueritate
compescat, qui tardi sunt ad intelligendum,
vel eloquendum, saepe interrogando reddat
agiliores, qui celeres motus habent, sed
praecipitanter nimis omnia agunt, quaestio-
nibus difficilioribus quasi fatiget, qui nini-
um sapere sibi videntur, quod maximum est
profectus impedimentum, eos ignorantiae



suae demonstratione aliquantum confundat, qui nihil audent, sibi que diffidunt, ea tantum, quae sciunt, ab ipsis exigendo, erigat.

§. CVII.

Haec quidem omnia in privata institutione facilius multo procedunt. In scholis publicis legibus et ipsa necessitate vniiformitas quaedam regnat, qua tamen praeceptor se ita constringi numquam concedet, quo minus hanc discipulorum dissimilitudinem semper prae oculis habeat, et non sentientes etiam discipulos alium aliter tractet. In amore illud discrimen seruet, ut omnes amare, magis autem, quo quisque melior aut doctior, odisse neminem, nisi desperate malum, appareat.

§. CVIII.

Ex ratione discendi, quae tertium regularum generalium est principium, variae colliguntur, quas per lancem quasi saturam hic recensebimus. Prima haec esto: *optimam discendi rationem quavis occasione suis inculcet bonus scholae praeceptor.* Non errare mihi quidem videntur, qui ad eruditionis impedimenta omnino referunt, quod tam pauci



pauci viam, qua ad solidam tenditur doctrinam, norunt. Aliunde profecto haec ignorantia deriuari nullo modo potest, quam ex illis scholis, vbi haec via plane non monstratur. Plures certe ad veram eruditionem peruenissent, hanc viam nisi ignorassent. Sed sunt, qui dies noctesque libris incumbunt, sudant et argent, plumasque comedunt, et caput scalpunt, sed frustra. In eodem semper haerent luto, iisdem inuoluuntur tenebris, neque ad vllam lucem perueniunt. Deinde, etiamsi lento gradu aliquantum processerint, multo tamen celeriores progressus fecissent, si, quomodo procedendum sit, non ignorassent.

§. CVIII.

Suorum igitur litterarum studia mirum quantum facilitabit, si, qua via in illis eundum sit, fidus dux monstrauerit. Vt vero hanc viam non ignoret noster, praecepta discendi generalia hic suppeditabimus, quae ex ipsa mentis natura deriuata sunt. Sunt autem haec: I. In primis litterarum amor excitandus, vtilitatis, honoris, immo necessitatis cuiusdam consideratione, qua vt nos, aliosque emendemus, tenemur. II. Deinde atten-



attentio, meditatio ac repetitio adhibenda.
 III. Viui doctoris opportunitas non negli-
 genda. Autodidascalia enim maximis pre-
 mitur difficultatibus. IIII. Discendum, quid-
 quid discendi occasio offertur. V. Legendi
 libri vel lectione stataria, vel cursoria. VI.
 Cum iudicio excerptum. VII. Scriben-
 dum et commentandum ad res percipien-
 das, retinendas, tradendas. VIII. Vniuer-
 sim id agendum, ne quid intempestiue, ne
 quid confuse, ne quid absque fructu.

§. CX.

Quia in litterarum studiis parum profi-
 ciet, qui nullo illarum capitur amore, al-
 tera regula haec sit: *quouis modo praeceptor*
in discipulis litterarum amorem excitet, alat
atque augeat. Excitet, vt supra dictum est,
 alat, exempla litteratorum ob oculos po-
 nendo, quorum nomen et merita adhuc
 celebrantur, proponendo nonnumquam ea,
 quae insigniter delectant, et quotidie noua
 quaedam, illisque inaudita addendo, augeat
 denique amica cum diligentioribus conuer-
 satione, in qua de rebus, ad eruditionem
 facientibus, sermo misceatur, iuueniles,
 lique docti labores illis committantur, bi-
 blio-



bibliothecae potestas fiat, aut illorum quasi consilium variis de rebus, vel scholasticis, vel ad litterarum studia pertinentibus, rogetur et adhibeatur. Praemiis quoque scholasticis, aut schedulis, quibus suis commendentur, et laudentur, illorum studium accendat.

§. CXI.

Neque ab hoc loco aliena erit de aemulatione scholastica disputatio, quae ad hunc litterarum amorem excitandum, augendumque in scholis solet commendari. Multorum, non *Quintilian* tantum, sed et recentiorum de accendenda augendaque in pueris aemulatione sunt praeceptiones, aliis in contraria omnia abeuntibus, qui ex tam corrupto fonte boni nihil provenire posse, cogitant. Certamina inde et agones omnes ex scholis proscribunt, utque discipulos humilitati adfuefaciat, praeceptorem iubent. Ut igitur de hac lite quid sentiendum sit, iuste statui possit, quod plures, qui ex scholis omnem aemulationem exturbant, facere negligunt, primo aemulationis definitionem fundamenti loco ponamus. Aemulatio hoc loco est vehementior appetitio, dili-



diligentia, doctrina ac virtute prae aliis praemia proposita consequendi, ad quae consequenda iisdem, quibus alii, nos instructos esse videmus et subsidiis, et iuribus. Ad aemulationem igitur requiritur I. praemiorum cupiditas II. voluntas remediorum s. subsidiorum, diligentiae, doctrinae, virtutis III. vt iisdem, quibus alii, instructi simus praesidiis IIII. vt plures ista praemia appetant, qui tamen prae nobis nullo in illa iure potiori gaudent.

§. CXII.

Quod si igitur in scholis locum habere debet aemulatio, diligentia, doctrina, virtus praemiis quibusdam ornanda sunt, e. g. loco, et ordine in schola sedendi, praeceptoris laudibus, commendatione aliisque: deinde iidem labores eorundem profectuum iuuenibus committendi sunt. Summa scilicet cautione hic opus est, ne impares iuuenes, aut diuersarum animi facultatum hic iungantur, ne alacriores superbiant, immo pigrescant, tardiores autem et infirmiores prorsus animum abiciant. Hisce limitibus circumscripta aemulatio quare ex scholis fit eliminanda, non video.

Quis



Quis enim, inde necessario fluere, dixerit; ut magnificentius de se ipsis, quam de aliis, sentiant; aut, quid aliis magis, quam quid sibi desit, considerent; aut ut aliis praestare semper et omnino velint. In virtutis exercitatione aliis praestare velle, quis non laudabile dixerit? De se non magnificentius sentiet, qui alios aemulatur: neque, quae sibi desint, ignorare poterit. Bonus scholae praeceptor scholasticam aemulationem prudentia sua, atque adhortationibus ita emendare facile poterit, ut, quae vulgo adhaerent, fordes abstergantur, omnisque abusus tollatur. Id quoque operam dabit, ne aemulatio ista in Zelotypiam vitiosam degeneret, quae est dolor inde ortus, cum quis alterum praemiis, quibus inuitus caret ipse, frui videt. Pro diuersa pubis scholasticae aetate diuersa praemia, quae rixas et contentiones nullas mouent, constituere poterit, ita ut aemulatio inter remedia, discendi ardorem in scholis publicis excitandi, alendi, augendique in posterum quoque iure meritoque defendi possit.

§. CXIII.

Sine attentione disci nihil, nihilque cognosci accurate potest. Animum haec ab alie-

alie-



alienis cogitationibus auocat, ex pluribus cognoscendis vnum separatim repraesentat, obscuritatem, mentisque tenebras pellit, rebus lucem adfundit, omniaque luculenter vt perspiciamus, efficit. Tertia igitur praeceptoris regula postulat, *vt discipulorum attentionem quauis ratione excitet.* Quo magis ad aliena ferri solent iuuenes, aetasque puerilis fluctuari, cogitationibus suis huc illuc vagantes, eo maior adhibenda diligentia, ad rem propositam vt attendant. Non obiurgationibus, non minis, neque plagis haec res efficitur: aliis abundat praeceptor remedii. Quaestionibus non opinantes exerceat, repetitionibus eorum, quae modo dicta sunt, attentionem exploret, vocis varietate, inopinata librorum inspectione, rerum tractandarum varietate, adhortationibusque tempestiue adhibitis, rei-que grauitate exposita, aliisque modis facile auditorum attentionem prouocabit.

§. CXIII.

Quarto loco *quantum fieri potest laboris dentum discipulis in se praeceptor deriuat.* Ne otiosus in schola sedeat, audiatue tantum recitantes discipulos, quae memoria com-
pre-



prehenderunt, aut auctorem interpretantes, aut denique, quod omnium pessimum est, ipse aliud agat, discipulis interim inscribendo et commentando occupatis. Audiatur recitantes, sed paucos, et ne pigritiae occasionem praebet, modo hunc, mox alium pensum reddere iubeat, saepissime autem illos, quos negligentiores alioquin futuros, nouerit. Ipsum etiam pensum, quod singulis ediscendum propositum est, in plures tribui partes potest, et haec ab illo, ab alio alia exigi. Eadem ratione interpretando auctore veteri versandum. Ille vero praecipuus magistri labor sit, ut diligenter et quam dilucide fieri potest, omnia explicet, exemplisque familiaribus ac notis illustret, tum discipulos interroget crebro, et exempla ab illis exigit. Vnam eandemque rem variatis, quoties fieri potest, interrogationibus proponet, donec comprehensam intelligat. Adusfaciet etiam discipulos, ut ipsi interrogent, si quid minus intelligant, et placide quaerentibus respondebit. Denique a discipulis nihil exigit, nisi quod ex ipsius ore iam audierint. Neque rigidus verborum exactor sit, sed sensum potius attendat.



§. CXV.

Quinta regula praeceptorum commenda-
mus, *ut illis horis, quibus una sunt praecep-
tor et discipuli, nihil agatur, quod seorsim
agere singuli queant.* Cum primis hoc te-
nendum circa emendationem eorum, quae
a discipulis scripta sunt. Domi ea sunt
emendanda, in schola vero emendationis
ratio primum ab ipsis exigenda discipulis,
deinde vero, si eam nesciant, a magistro
indicanda, idque omnibus audientibus, ut
a simili errore sibi cauere possint. Ita di-
ctitando tempus consumere, institutioni
alias tribuendum, noxium est. Aut nihil
dictandum, aut extra horas ordinarias id
fieri debet. Neque a discipulis in scholis
elaborari, quae domi elaboranda sunt, con-
cedet praeceptor, aut omnino otiosos illos
federe, praeceptore vel alia omnia agente,
vel cum collegis in atrio confabulante.

§. CXVI.

Sexta regula monet, *ut horae, institutioni
destinatae, accurate et integrae, neque dimidia-
tae, aut negligenter huius officio impendantur.*
Tardi scholas discipulorum plures frequen-
tare solent, quod eo accidet frequentius, si
prae-



praeceptorem sero venturum norint, aut haec parum curare. Hinc integrae saepius horae iacturam faciunt. Neque e schola praeceptor festinet, qua festinatione attentionem, discendique ardorem in discipulis exstinguit. Temporis, horaeque incurius eundem semper ostendat docendi ardorem, temporisque accuset celerem decursum. Iphis horis discipulis se numquam, nisi summa coactus necessitate, subducatur, nec sua absentia illis ludendi, rixandi, otiandi occasionem subministret. Redux enim factus tempus, petulantes et rebelles puniendo, consumet, animos petulantiae et ferocitatis plenos, ad litterarum studia prorsus factos ineptos, inueniet, nihilque proficiet. Quorum omnium cum se causam esse, ipsi fatendum sit, pudore subfundatur, necesse est, temporisque iacturam, cuius se debere deo, hominibusque rationem cogitabit, sero conqueretur.

§. CXVII.

Tandem septima regula eo pertinet, *ut operam det, quo etiam horae ab ordinaria institutione vacuae bene a discipulis collocentur.*

Has plerique praeceptores curare, omnino



negligunt: quo fit, vt publica institutio parum proficit. Prudens vero praeceptor, hunc defectum supplere, conabitur. Non magna pensa ediscenda aut scribenda discipulis tribuet, qua ratione taedium prius, quam diligentiam eorum prouocabit. Multo melius res procedet, si humanitate et amore in discipulos suadendi auctoritatem sibi conciliauerit. Proderit quoque, si cum parentibus ipsi hac de re conuenerit, ad quos propterea nonnumquam adeat, aut ad se ipsis adiutum concedat. Poterit quoque, si per alia negotia licet, licere autem debebat, horam certam constituere, vbi singulis liberam ad se adeundi, et de studiis secum loquendi, potestatem faciat, publiceque declaret, eum sibi fore carissimum, qui quam saepissime ad se accessisset. Omnis tamen absit coactio, reuiculasque quasi pecudes in grege suo ferat.

§. CXVIII.

Rerum docendarum ordo et natura ultimo loco quasdam quoque regulas praeceptorum iniungit, quas nunc explicare, tractationis nos filum iubet. Ad quatuor omnes referri posse, arbitror. Prima igitur haec est: *res docendae ac discendae animi facultatibus, earumque*



que diuerſi temporis vigori accommodari debent.
Tam accuratos veteres in obſeruanda hac
regula inuenies, nihil vt ſupra. Cur apud
Graecos artes mathematicae primae erant,
quas docebantur pueri? Nonne inter alias
haec quoque cauſſa fuit, quia oculos, ſenſus-
que adficiunt, quibus pueritia maxime ſecti-
tur, et delectatur. Quid cauſſae eſt, cur
pictura, heraldica et geographia ſic capian-
tur infantes? Teneri ſunt ſenſus, mollesque,
omniaque pueris grata, quae illos mulcent,
ſuauiſſimeque adficiunt. Cur in pueritia lin-
guae felicius addiſcuntur, quam ab adole-
ſcentibus, aut a virili aetate: quia ſcilicet
memoria in pueris prae aliis animi ſacul-
tatibus viget. Cur hiſtoria ita delectantur
iuuenes; nonne ob eandem cauſſam? Artes
vero ſeueriores, philoſophiam reliquasque
cur ſaſtidiunt? Hae iudicium, mentemque
poſtulant, quae in iuuenibus tandem efflo-
reſcere incipit. Huic animi conditioni bo-
nus praeceptor res docendas attemperet, at-
que adeo, quae ſenſus feriunt, ac memoriam
excolunt, prius tractanda, poſtea vero, quae
iudicium acuiunt. Quem ſi ordinem obſer-
uauerit, felices non poteſt non facere pro-
greſſus.



§. CXVIII.

Ex priori igitur regula institutionis initium ab iis faciet rebus, quae in sensus incur-runt. Hinc litterarum formas, picturam, musicam, geographiam, heraldicam, artium mathematicarum prima elementa pusiones suos docebit, figurisque aeneis aut pictis varias ipsis res utiles propinabit. Historiam quoque naturalem, quae sensus mirifice cap-it, hanc aetatem doceat, herbarum, tellu-ris, plantarum, lapidum, aeris, animaliumque incredibilem multitudinem ac varietatem ob oculos illis ponens, nec non meteororum naturam et causas explicans, summatim ea omnia, ad quae sensibus ducuntur pueri.

§. CXX.

Memoriae vis quia primis statim annis se exserere solet, illa quoque ante iudicium est excolenda. Hoc enim diu adhuc quasi sopitum est, cum memoria iam, sapientissimo summi nostri opificis instituto, viget, qua idearum, rerumque copia comparatur, in quibus deinde iudicium vim suam exercet. Excolitur vero memoria crebriori exercitio, tum in ediscendis linguae vocabulis, aut praeceptione aliqua grammatica, quorum tamen



tamen copia non obruenda tenera aetas, sed potius libertas quaedam concedenda, et puerulorum paria eligenda, qui ludendo se inuicem interrogent ac respondeant, immo crebriori lectione memoriae ea potius imprimenda sunt, tum in sententiis ediscendis, quin etiam iis ipsis, quae in schola de latino germanice interpretari docentur. Quae res multo adhuc maiorem usum habet, quia quo plures eiusmodi auctorum locos memoria comprehenderunt, eo magis latinitatis colorem vel non sentientes trahent. Quid? quod haec etiam prouectiores meminisse iuuabit, cum reliqua aut mox oblitterentur, aut ita quasi absorbeantur, ut didicisse, vix recordari queas. Si de reali disciplina quid ediscendum proponitur, verba non seuerè exigenda sunt, quin potius, ut suis verbis rem enuntient, postulandum est.

§. CXXI.

De memoria, quae artificijs certis paratur, imagunculis verbi causa, rebusque alijs non magnifice sentiendum putamus. Plerumque enim ita comparata sunt illa artificia, ut primum rem, quae signi loco proponitur, deinde et ipsam, cuius illa est signum,



repraesentare sibi, qui eis vti velit, debeat. Exempla eorum, qui eiusmodi artibus nixi ad miraculum vsque memoria valuerunt, tum demum aliquid probarent, si constaret, quosdam, memoria minus valentes, artis huius beneficio eo peruenisse. Fuerunt enim omni tempore pauci, quorum praestantissima memoria vel sine eiusmodi artibus omnibus admirationi fuit: quales interdum, vt alios magis in stuporem dent, non naturae beneficio, sed arte sua id se consecutos, gloriantur. In locali tamen memoria magna vis est, vbi aliquid in hac vel illa paginae parte legisse, recordamur: cui vt subueniatur, praestat vni auctoris, quem familiarem nobis reddere velimus, editioni adflescere, eique non nimis exiguae, vt facilius in partes mente distingui queant paginae, quae res magno interdum compendio, scriptoris locum quaerentibus, esse potest.

§. CXXII.

Quo magis obliuio vitatur, eo magis excolitur memoria. Illa igitur quomodo vitanda sit, vt doceamus, ex triplici eam plerumque fonte oriri, obseruemus I. si rem non saepius recordamur. II. si prima vice non
distincte



distincte aut plene cognita a nobis fuerit.
III. si ab vna re ad alias diuersas festinamus.
Vitari igitur ita potest, vt primum attentione
maiori rem penitus perspicere studeamus.
Huc faciet, ne plura simul aut breui tempo-
re post se inuicem attendamus, vt ex bonae
methodi regulis rem cognoscamus, atque
adeo rite illam meditemur. Deinde crebra
repetitione et recordatione opus est. Vlti-
mo denique loco adnotatio non obliuiscen-
dorum multum proderit: quae sit brevis,
cum iudicio fiat, atque ad finem vsque disci-
plinae continuetur.

§. CXXIII.

Postquam confirmata aliquantum aetas,
instructaque memoria fuerit, intentiori cura
in iudicii culturam incumbendum erit. A
teneris quidem vnguiculis puerorum etiam
iudicium expolire conabimur interrogatio-
nibus, illorum captui accommodatis: sed cum
per naturae conditionem imbecillior sit haec
in illis facultas, frustra fuerit, hic nimium la-
borare. Crescente vero cum annis iudicio,
omni studio contendendum, vt diligenti
cultura poliatur et augeatur. Ante omnia
opera danda est, ne quid discant iuuenes,
I 5 quod



quod non intelligant. Num vero intelligant, quaestionibus suis facile expiscabitur, et si a discipulis exempla exegerit. Interdum orationem proponat, in qua vnum sit aut plura vitia, occultiora vel manifestiora, pro captu et profectu discipuli, iubeatque ea indicare atque emendare. Emendationis suae rationem reddere iubeat, aut turbationis sensus periodum offerat, sine vlla distinctionis nota scripta, et petat a discipulo, vt explicet, et conuenienter interpungat.

§. CXXIII.

Cum ad Matheosos, Philosophiae ac Historiarum studia ventum fuerit, multo se maior pandit iudicii exercendi campus. Ac Matheosos ea quidem ratio est, vt rudimenta quasi ratiocinationis, illius ope, poni queant: arithmetica maxime, quatenus in addendo et subtrahendo versatur, quin teneris pusionibus proponatur, nihil impedit, quibus ludendo quasi inculcari potest. Qui autem ad demonstrationes geometricas deducti fuerint, illi demum, quid sit conuictio, et scientia, intelligent. In Philosophia opera danda, vt ex certis et euidentibus principiis omnia deducantur. Acui hic optime iudi-



iudicium potest, si tiro proposita aliqua quaestione, ex principiis, quae nouit, eam decidere, falsam sententiam arguere, veram confirmare, praecepta generalia exemplis illustrare iubeatur. In Historiarum lectione nihil ad formandum iudicium vtilius, quam si ea, quae leguntur, tum ad leges diuinas naturales, tum ad prudentiae praecepta exigantur. Hinc inde quoque celebris alicuius viri characteres ex historia eruendi, in quibus τὸ πᾶν potissimum obseruandum.

§. CXXV.

Altera ordinis haec lex est: *ita singula proponantur, ut a facilioribus ad difficiliora progrediamur, et quae proposita iam sunt, eorum, quae iam tractantur, intelligentiam iuuent.* Prior huius legis pars, a facilioribus ut ad difficiliora fiat progressus, ita est necessaria, ut, nisi illa bene obseruata, quidquam proficere non possint discipuli. Mentis nostrae id exigit natura, quae faciliorem cognitione ad difficiliora percipienda apta redditur. Ita quoque taedium feliciter superatur, quod ex difficiliorum cognitione necessario alias oritur. Faciliora vero dicimus, quae non tantum laboris, temporis, medi-



meditationis ac doctrinae desiderant, quantum difficiliora. Posterior vero requirit, tum ut in qualibet disciplina principia primo loco proponantur, ex quibus reliqua facili negotio deriuari queant, tum ut inter ipsas disciplinas eae prius tractentur, quae ad reliquas viam quasi pandunt. Maxima huius regulae utilitas in eo quoque cernitur, cum ad artem aliquam illustrandam ab iis artibus exempla petuntur, quae aut cognitae iam sunt, aut eodem tempore traduntur, vel ab iis auctoribus, qui vel lecti sunt, vel adhuc leguntur. Quae res non intelligentiam tantum iuuat, sed memoriae etiam mirum quantum consulit.

§. CXXVI.

Tertia praeceptio rerum docendarum varietatem ita commendat: *ne in vna re diutius detineantur discipuli, sed rerum discendae in varietate discendi ardor alendus est, atque augendus.* Non id nobis volumus, ut ab vna re, antequam recte illam perceperit discipulus, ad alteram properanter abducatur, sed id tantum indicamus, non eadem semper lyra oberrandum esse, neque integrum diem vna re consumendum. Varietas

tas



tas delectat, pueros, iuuenesque in primis, nihilque attentionem magis, discendique ardorem debilitat, quam ista rei quasi uniformitas, quae taedium pariat necesse est. Huic ut medeatur, non plures horae eidem lectioni impendendae, sed pro temporis diuersitate horarumque diuersae etiam res tractandae sunt. Singulis sic horis renouatur studium, aliturque attentio. Rerum docendarum haec varietas institui ita potest, ut et ipsarum animi facultatum ratio quaedam habeatur. Si, quae memoriam potissimum requirunt, tractata fuerint, quae sensus adficiunt, succedant. Haec excipiant res cum iudicio agenda, ut totus animus doctrina quasi pascatur et satietur.

§. CXXVII.

Quartae denique regulae loco nobilis illa, et multum ab aliis iam agitata quaestio ab hoc loco non videtur aliena: *num salua pietate legi ab homine christiano, praesertim iuvene, possint gentiliū scripta, praesertim ea, quibus aut in deum religio, aut castitas laeditur?* Non sine causa, saltem non sine magna specie, videntur quidam gentiliū lectione iuuenibus interdiceret. Si quidem tales



tales nos fieri aiunt, quales legimus, inficique impietatis ac flagitiorum contagione iuueniles animos, iam per se ad peccandum pronos, cum eleganti stilo res nefandas, sed corruptis mentibus gratas, descriptas legant. Satius igitur esse vel non disci graecam, latinamque linguas, quam ex eiusmodi libris disci, unde simul animi, morumque perniciēs hauriatur. Esse alios libros non minus eleganter, et magis pie scriptos, quos iuuenibus proponere praeceptor possit, ut cum filii elegantis non impietatis libidinisque, sed religionis et castitatis semina concipiant.

§. CXXVIII.

Sed multa licet vera hic sermo contineat, non tamen simpliciter admitti potest. Primum enim distinguendi sunt illi gentiliū libri, qui aperte impietatem ac flagitia docent, ab aliis, qui res ceteroquin bonas aut medias continent, non tamen nihil habent, quod pudori aut religioni sit aduersum. Illos, quales tamen pauci supersunt antiqui, (utinam recentior aetas non pestilentissimorum eiusmodi librorum largiorem segetem protulisset,) tantum abest, ut legendos



dos pueris tradi velimus, vt aeternis potius tenebris damnandi sint. Hi quin legi possint, rationes, ab altera parte allatae, prohibere non videntur. Quod vt appareat, tria iterum quasi eorum genera constituenda sunt, quae mala in eiusmodi libris deprehenduntur. Aut enim narrantur cum reprehensione, aut simpliciter recensentur flagitia, aut denique approbantur et laudantur. De singulis separatim videndum est.

§. CXXVIII.

Libros, qui de rebus vtilibus ac honestis agunt, et impiarum, turpiumque rerum quoties mentio iniicienda est, eas reprehendunt, ob id reiiciendos non esse, cuius facile videt, cum alias vel sanctissimis religionis nostrae libris labes inde adspersaqueat, in quibus nihil est frequentius, quam vt vitia hominum indicentur ac reprehendantur. In veterum christianorum apologiis eadem occurrunt. Dicas, melius fuerat, tacere talia, quam reprehendendo quasi docere: quasi vero non aliis viis ea in iuuenum notitiam perueniant, et vtile multis sit, si de eiusmodi flagitiis, quae occulto



culto plerumque perpetrantur, eorumque nefanda turpitudine, grauissimisque poenis, aliquid ipsis innotuerit. Sed ab iis, qui inter ethnicos satyras scripsere, et a nostris etiam apologetis in eo omnino peccatum est, ut vomiciis illis ita inhaeserint, ut non sine delectatione eas tractasse, appareat. Sed horum neutri a tenera aetate, bene est, quod leguntur.

§. CXXX.

Altera eorum classis est, qui vtilibus multis immixtas habent narrationes quasdam de rebus impiis atque obscenis. Hos qui simpliciter exturbare e scholis voluerit, praeterquam, quod ipsi scripturae sacrae praeiudicium facere videtur, in qua plures sunt narrationes de sceleribus, nulla poenae aut reprehensionis mentione statim adiecta, insuper cauere debet, ne quid flagitii aut impietatis aliunde audiant, legantque iuvenes. Melius vero est, talia eos tum legere, ubi grauis admonitio, praeceptoris excitatos forte malitiae igniculos statim opprimat et restringat, quam si in angulo aliquo, a nefando aliquo corruptore, ea edoceantur.

§. CXXXI.



§. CXXXI.

Eadem fere ratio est, cur neque postremum genus eorum, qui inter vtilia multa tamen non tantum narrant, quae contra dei metum aut castitatem sunt, sed approbant etiam, penitus eiiciendum sit. Cum enim eorum lectione, qui serio litterarum studiis operam dare velit, superfedere non possit, periculum autem, quod ex maculis eiusmodi librorum, alias vtilium, oritur, tantum quasi cumulus reliquorum, quibus iuuenilis aetas exposita est, corruptionis periculorum censi debet, ac insuper ea, quae iam explicabitur, ratione declinari possit: nemo temere erit, qui non patiat, etiam id genus libris locum in schola relinqui. Hoc igitur quomodo sine morum damno fieri possit, iam videamus.

§. CXXXII.

Fuere, qui ex gentiliū libris, quos ediderunt, eiicerent spurcities omnes, et quae impietatem aliquam spirarent, ita tamen, ut notis quibusdam signarent, ubi quid expunctum esset. Qua ratione non modo nihil moribus profuere, sed obsuerunt etiam, adolescentibus cum occasionem praebuere, libros eiusmodi castratos, uti vocant, comparandi

K

parandi



parandi cum aliis integris, adeo vt his quasi indicibus reperiri facile posset, quidquid in aliquo scriptore moribus esset noxium: quem comparandi, euoluendique laborem illi abstulerunt, qui vna serie excerpta auctoris alicuius flagitia ad libri calcem exhibent. Alii verbis, sententiisque gentilium ad res nostras traductis, Virgilios Terentiosque christianos nobis pepererunt. Sed centones tantum sunt, in quibus natium latii decus desideres, et, quod maximum est, antiquitatis cognitio nulla ex illis hauriri potest, quae tamen maximopere est necessaria.

§. CXXXIII.

Plus forte proficies, si libros tradas iuuenibus ita adornatos, vt impietatis aut libidinis vestigium nullum remanserit: quae ratio si conspiratione quadam ab iis, qui veteres libros edunt, seruaretur, nemini non bono et casto approbatura se foret. Sed, vt nunc sunt emtorum pariter ac librariorum voluntates, sperari non potest. Vix igitur efficies, vt non alios quoque libros comparare possint iuuenes, et si efficias etiam, reliquae corruptionis occasiones restant, quae vim magnam amittunt, si non vt noua quaedam,



dam, et inaudita res animis adolescentium proponuntur, sed quorum odium iam olim cum ipsa notitia concepere.

§. CXXXIII.

Quod quidam docti viri et pii faciunt, ut pro gentilibus Lactantium et Minucium Felicem, quique illis sunt similes, iuventuti legendos commendant: faciunt illi quidem pro pietate sua et eam promouendi studio. Illud tamen monendi sumus, sine eorum, quos supra enumerauimus, scriptorum ope, hos ne quidem intelligi. Legendi igitur Lactantius et Minucius, et ab omnibus legendi, qui serio litteris operam dare velint: sed tum demum, cum de doctrinis et fabulis, quas refellunt, ex ipsis fontibus constiterit. Taceo, quod non adeo multa sunt in his scriptoribus, quae ad pietatem bonosque mores conducant, contra errores multi tam in credendis, quam agendis.

§. CXXXV.

Vt igitur sententiam nostram apertius et speciatim indicemus, satyricos quidem et Plautum in scholis, apud iuniores praesertim, explicandos non esse putamus, quia et diffi-

K 2 cilio-



ciliores sunt, et nimis multa habent, religioni et castitati aduersa. Neque amatoria Ouidii scripta, ob nimias voluptatis illecebras, legere tutum est: quamquam excerptis inde crebris sententiis nihil sit praestantius, aut ad vitae vsum accommodatius. Sed alios scriptores, quorum singuli fere diuerso respectu ad diuersas classes eorum, quas modo constituimus, pertinent, e iuuenum manibus extorqueri nolim: ea tamen cautione, vt quoties ad scopulum moribus periculosum peruentum fuerit, grauius admoneantur discipuli de gentiliū infelicitate, qui, postquam veritatem doctrinae caelestis repudiauerunt, ad omnia foeda, suis ipsi cupiditatibus quasi in captiuitatem traditi, prolapsi fuerint, vt ipsam prope humanitatem exuisse interdum videantur. Cauendum itaque nobis esse, qui diuina luce collustrati sumus, ne contemtim lucem illam habendo, in eandem miseriam incidamus. Si qui probi ante, honestique iuuenes et his similibusque adhortationibus confirmati, lectione eorum, quos diximus, corrumpantur, causam non dicimus, quin e scholis omnibus exturbentur omnia gentiliū scripta. Malos autem et corrupti moris homines amplius etiam eorum lectione



ctione irritari, mirum non est: sed hi vel ex scriptura sacra, quo alant impietatem suam, haurient.

§. CXXXVI.

Qui tantum profecere, vt confirmatum cum iudicio etiam propositum habeant, omnibus libidinis impietatisque illecebris resistendi, illi adire quidem et legere vniuersa possunt: sed summo tamen studio caueant, ne paullatim et non sentientes irretiri se patiantur, et dum verborum et antiquitatis cognitionem sectari se putent, profani et ipsi, profanos legendo, fiant. Quorsum conducet, si non nimium temporis illis impendamus, et semper, precibus ac rerum sacrarum meditatione bene praemunito pectore, ad eos accedamus. Qui aliter in his studiis versantur, (quod a criticorum plurimis pro dolor fieri, experientia testis est) profanos, miseros proinde atque infelices eos fieri, sed sua ipsorum culpa, necesse est.

